

triculi circa Zetarum fornaces visuntur, ab edentibus illuc reiecti, ut exsiccati seruentur, et cum potione aliqua hausti a colicis cruciatibus liberent. Colligi ajunt et oleum ex hepate ad solem vel ad fornacis calorem

suspenso, intra vas vitreum: clarum id et flavum esse, adversus oculorum suffusiones utile, item nubeculas et maculas, quae ab angulis oculorum nasci incipiunt.

N. Mustelae marinae Iconem vide Tab. 46.

CAPVT VII.

De Piscibus Fossilibus.

TAB.
XXVIII. 8.
*Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 9.*

Piscium Fossilium et Veteres et moderni meminere. Ex illis ita de eorum natura et ortu Theophrastus. Pisces alicubi fossiles sunt, ut circa Heracleam et alibi in Ponto. Nascentur autem circa fluvios, et aquosa loca, quae cum siccantur (certis temporibus) paulatim, pisces subinde humorem sectando terram subeunt: qua demum siccata, remanent in ea, veluti vivi sepulti, vel ut animalia quaedam in suis latibulis hyeme condita durant, sine sensu fere et motu torpida. Quod si loca illa priusquam denuo aqua accedat, fodiantur, pisces illi moventur. Sic et in Ponto contingit, pisces glacie et gelu occupari, neque sentire, aut moveri prius, quam in ollas coquendi injiciantur. Prae caeteris autem Gobio hoc accidere videtur. Fere autem fossiles pisces fiunt, eo quod ab inundatione fluviorum, in locis quae resiccantur, vel ova, vel alia principia gignendis idonea piscibus relinquuntur. Nonnulla enim non ex ovis oriuntur, ut Anguilla et Centriscus. Et hoc in Heraclea, circa Lycum fluvium contingit. Principia autem haec in terra relicta, perficiuntur, durantque. Neque absurdum est hos pisces durare.

Multa enim hujusmodi animalium exiguo egent nutrimento, sicuti serpentes quoque et quae latibulis se abdunt. Primum scilicet ipsa ova humore e terra manante, deinde eodem nati ex ovis pisces nutriuntur. Ad magnitudinem tamen aliquam eos excrecere neque verisimile est, neque fertur, cum et loci angustia et alimenti penuria impediant. Caeterum durare in aëre hi pisces non aequè valent, ac illi, qui ab aquis ad pastum egrediuntur; qui

scilicet exigua refrigeratione, et quae ab aëre eis praestari possit, indigent; nam vel ipsa branchiarum angustia indicat, non multa refrigeratione eis opus esse; quamobrem et Anguilla tum in aëre multum temporis vivit, tum in aquis turbidis illico suffocatur. Et similiter fossiles pisces a terra eos ambiente, quantum satis est, refrigerantur. Sed quod circa fossiles in Paphlagonia pisces contingit, peculiarem et abditam rationem habet. Illic enim profunde admodum multos et bonos pisces effodi ajunt: cum neque inundare aquam nimiam iis in locis neque aliter colligi animadvertatur, unde semina et principia generationis relinqui dicimus. Reliquum est ut sua sponte nascantur, idque continuo. Neque enim coire inter se possunt. Aut igitur hoc fieri existimandum est ratione loci, qui humidus sit, et omnino ferax hujusmodi piscium propter certam humidi calidique commodationem. Oriuntur autem et alii quandoque quidam pisces sponte; aut humores quosdam alicunde manare cogitandum est, qui generationis principia secum adferant: quae mox locus idoneus et recipiat et alat. Praeterea hoc inquirendum de utrisque, tum illis, qui in aëre vivunt, tum fossilibus, utrum in aquam immissi vivere valeant, aut in proprio duntaxat loco, qui eis naturalis sit, sicuti sua et marinis et fluvialibus aqua. Nam ex his quoque non nisi pauci mutationem sustinent. Nam qui in aquis resiccatis terram subeunt, et qui glacie gelati detinentur, iis familiarem esse humorem magis quam aliis (e fossilium genere) constat. Ergo piscium alii simplicis naturae videre debent,